

Romanis darent? 'nec, si dant vias, nulla est divinatio.' fac dare deos, quod absurdum est; quid refert, si accipere non possumus? extremum <est>: 'est igitur divinatio.' sit extremum, effectum tamen non est; ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, verum effici non potest. 5
iacet igitur tota conclusio.

52 Veniamus nunc ad optimum virum familiarem nostrum
107 Cratippum. 'si sine oculis' inquit 'non potest extare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est usus oculis ut 10
vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. item igitur si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem cum quis divinationem habeat errare aliquando nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem semel aliquid ita esse 15
divinatum nihil ut fortuito cecidisse videatur. sunt autem eius generis innumerabilia; esse igitur divinationem confitendum est.' festive et breviter; sed cum bis sumpsit quod voluit, etiamsi faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen quod adsumit concedi nullo modo 20
108 potest. 'si' inquit 'aliquando oculi peccent, tamen quia recte aliquando viderunt inest in iis vis videndi; item si quis semel aliquid in divinatione dixerit, is etiam cum peccet tamen existumandus sit habere vim divinandi.'
53 vide quaeso Cratippe noster quam sint ista similia; nam 25
mihi non videntur. oculi enim vera cernentes utuntur natura atque sensu, animi, si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu; nisi forte concessuros tibi existumas eos, qui som-